

C V I S

1 6 3 6



- I Joh
- I Iohannis Langen tractatus duo unus de exceptionibus alter de quaestionibus
 - II Andreae Knichen auctoritate
Disputationes iuridicae
 - III De Iuramentis in genere D. Kremsbergii
 - IV De Mutuo D. Grossii
 - V De Iuramento Iudiciali D. Kremsbergii
 - VI De iuramento testimonii et purgationis D. Kremsbergii
 - VII De Empti venditi contractu D. Carpzovii
 - VIII De Usuris D. Irtonii
 - IX De pignori et hypothecis D. Carpzovii
 - X De Hæreditate l. Avenarii
 - XI De Furtis D. Irtonii.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ma. 24.

^{IX.}
DISPUTATIO POLITICA

De

BELLO,

Quam

Divino annuente auspicio,

An almâ Academiâ VVitebergensî

SUB PRAESIDIO

Viri Clarissimi & Consultissimi,

Dn. IOHANNIS AVENARII,

J. U. L. & Eloquentiæ Pro-
fess. Publ.

defendendam suscipiet

ANDREAS GERLACHIUS GEREN-
rodensis Anhaltinus.

Ad diem XXX. Maji,

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. XXVII.

Viris Amplissimis, Specta-
tissimis, variarumq; rerum usu
peritissimis,

*Dn. CASPARI GERLACHIO, Arcis Ge-
renrodensis praefecto,*

*Dn. JOHANNI HARSLEBIO, utriusq;
arcis Ballenstadenfis & Hoimensis praefecto,*

*Dn. JOHANNI FUHRMEISTERO,
Curie Bernburgensis a secretis,*

*Dn. CASPARI Pfawen / Arcis Alschleben-
sis praefecto:*

**Dn. Parenti, Avunculo & Affini-
bus suis debito observantiae & reve-
rentiae cultu aeviternum prose-
quendis**

*Exercitium hoc Academicum in sui favo-
rem, studiorumq; suorum commenda-
tionem*

Dicat & consecrat

Andreas Gerlachius.

A. & R.



Σὺν Θεῷ.

I.



Rempubli- cam animadvertentes etiam bene constitutam variis morbis variisque corruptionum tam internarum quam externarum generibus saepius invadi, concuti, conturbari, operæ pretium est, ut cæteris omnibus posthabitis de Bello pauca quædam in hac disputatione dispiciamus, & eâ quâ fieri potest, brevitate expediamus.

II.

Itaque initium facimus à Vocis Belli notatione, quam alii deductam censent, καὶ ἀντιφρασιον quasi minimè bellum, quod eo semel exorto difficulter pristina pax renasci soleat. Nam luce meridianâ clarius patet, omnè bellum facile sumi, sed ægerrimè desinere, nec in ejusdem potestate initium & finem esse; alii à Græco βέλῳ, quod telum significat, derivant, §. item lex cornelia §. Instit. de public. jud. Bellum enim telis geritur, id est, omnis generis armis infertur. Atque hujus notationis Etymologia, quia ex causa est, & quidem causa instrumentali, meritò cæteris præferri debet. Aliis dicitur à belluis, quod belluarum sit, non hominum in mutuum sævire exitium, Juninius part. 2. quest. Polit. 67. Unde Poeta rectè ac verè canit

Pax homines, sevas trux decet ira feras.

A 2

3. Tran



III.

Transitum facimus ad ipsam belli definitionem, hujus perfectam poni negat Keckerm. *lib. 1. Syst. Pol. cap. 29.* descriptiones verò varias atque varias invenire licet; Lips. *lib. 5. pol. cap. 3.* definit vim & arma in principem aut populum alienum. August. *in lib. quæst. iusta bella,* inquit, solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas plectanda est, quæ vel judicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est. Althuf. *cap. 35. Pol.* definit actionem hostilem ad injuriam depellendam & vindicandam à Magistratu vi armisque contra hostes pacis retinendæ & consequendæ causa, legitimè susceptam & administratam; Et hanc definitionem cum cæteris Politicis nos quoque approbamus: Vide Schonborn. *lib. 6. Pol. cap. 1. Keckerm. 1. Syst. Pol. c. 26.*

IV.

Definitione jam cognitâ elucet, nos non de quolibet, sed solùm de defensivo & vindicatorio loqui bello, quod vel contra extraneos vel vicinos etiam (haud tamen tutius hoc quàm illud suscipitur, præsertim quò vicini nobis sunt amabiliore, ut tutius per eorum regiones, si opus sit, pateat transitus Schonborn. *lib. 6. Pol. cap. 2.*) ad defensionem patriæ, vindicationem injuriæ, damniq; dati reparationem, & recuperationem amissorum à Magistratu vi & armis contra hostes pacis retinendæ & consequendæ causâ ritè legitimeq; suscipitur & administratur.

V.

Proinde de illo bello, quin à Magistratu Christiano rectè geri & suscipi possit, non dubitatur; id quod quatuor præcipuè argumentis probabimus: ex quibus primum est ab officio Magistratus; qui idcirco divinitus acceptum gladium gestat, ut injuriâ oppressos tueatur, teste Apostolo Paulo *Rom. 13. v. 9.*

13. 7. 9. Alterum argumentum sumitur ab exemplis Moſis Joſuæ,
Gedeonis, Davidis & aliorum priorum heroum. Tertium ar-
gumentum eſt à testimonio Johannis Baptiſtæ, qui milites
ſuis ſtipendiis contentos vivere & neminem injuriâ afficere ju-
bet. *Luc. 3. verſ. 14.* Et ipſe Salvator centurionis prædicat fidem.
Matth. 8. v. 10. Quartum ducitur à fine ſeu effectu. Finis enim
belli eſt pax, quia bellum propter pacem ſuſcipitur *Ariſt. 10. Et h. c.*
7. Nec pax niſi bello paratur, *Cic. 1. off.* Et quamvis varia dari
belli incommoda concedimus, non tamen naturalem defen-
ſionem ſuſque deq; habere jubemus. *Obrecht. diſp. 1. d. bell. 1. h.*
12. & ſeq. Junius part. 2. qq. Pol. 67. Keckerm. lib. 1. Syſt. Pol. 6. 29.
Schonborn lib. 6. Pol. cap. 1.

VI.

Ad ſuſcipiendum autem bellum requiruntur cauſæ, qua-
rum in Efficientis cenſu aliæ ſunt Remotæ, aliæ proximæ: Re-
motæ vel ſunt veræ vel falſæ: Falſæ, aliàs occultæ dictæ, ſunt
prætextus quidam factæ offenſionis & defenſionis ſeu vindictæ
legitimæ, quæ tamen ejusmodi non eſt, ſed ſub eſt vel regni am-
pliandi vel dominandi libido, illius generis eſt avaritia, hu-
jus ambitio. Quarum plurima exempla tam ſacris quàm pro-
phanis hiſtoriis leguntur; Abſolonem habemus, quem contra pa-
trem movit iſte furor *2. Sam. 15.* Abimelech habemus furen-
tem ob regnandi libidinem adverſus 70. ſuos fratres *Jud. 9.* Mi-
thridatem habemus, qui cum ipſo patre bellum de dominatio-
ne inſtituit. *Val. Max. lib. 9. cap. 11.* Henricum V. habemus, qui
adverſus patrem nefaria movit bella. Propterea tales, veluti
falſas cauſas & longe à ſe remotas, Chriſtianus Magiſtratus
omnino averſari debet, quippe cum infinitis etiam malis con-
exa ſit militia; Vnde *Virg. 11. lib. Æneid.*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes!

VII.

A 3

Veræ

Vera causa à Politicis ponuntur defensio & vindicatio; Defensoria causa est, cum bellum defendendæ reipub. gratia, contra hostes eam invadentes legitimè suscipitur. Atqui hanc belli legitimam causam esse quis ambigit, quia hæc ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris ipsa natura præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque etiam ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent. Cic. *pro. Mil.* id quod Ictus Florentinus in *l. 3. D. de. Iust. & Iur.* satis clarè & dilucidè confirmat. Vindicatoria causa est, cum bellum suscipitur propter injuriam illatam Deo & Reip. & propter recuperationem, amissorum bonorum. Boc. *de jure. bell. c. 17* Alth. *cap. 7. & cap. 29. Pol.*

VIII.

Positis duabus his causis legitimis, de tertia causa nempe infidelitatis, inter se controvertunt D D. *An adversus Turcas & Saracenos rectè bellum suscipiatur?* Nos infidelitatem non justam belli causam existimamus, quia fides non in nostra sita est potestate sed cœlitus nobis contingit, cum non sit volentis neque currentis, sed miserentis Dei. *Rom. 9. v. 16.* Ille enim solus fidei author, cujus donum quoque rectè dicitur *2. Thess. 2. v. 2. Philip. 1. v. 29. ad. Ephes. 2. v. 8.* Ac proinde non humanis armis, sed duntaxat Dei gratia propagari potest. Nec infidelitas Turcas & Saracenos rerum dominiô privat, quia infidelitas non tollit jus humanum, ex quo rerum dominia descendunt. Reusn. *lib. 1. art. stratag. c. 9. & Cor. 6. Flor. Politico hist. 2 pag. 606. Timpler. lib. 4. Pol. cap. 10. q. 7.*

IX.

Proxima belli causa est princeps seu Magistratus summus, cujus auctoritatem ad legitimum bellum necessariam esse, arguit textus manifestus in can. *quid calpatur. 4 vers. ordo tamen. caus. 23. qu. 1. l. 3. D. ad. L. Iul. Mai. l. Neminem. C. de remilitari. l. un. & ibi gl. C. ut armor. usus in scio principe interd. Lips. 5. Pol. c. 4. Gail. lib. 1. de pace publ. c. 4.*

X. Et

X.

Et sic absolutâ causâ efficiente, Materiæ locô tria belli requisita consideranda sunt; Apparatus scilicet, Viri & consilia. Apparatus consistit in illis rebus, quæ ad bellum gerendum dicuntur necessariae; ut sunt 1. Pecunia, quæ præcipuus belli dicitur nervus; Et Imperator. Justin. in *Novel. 8. cap. 10. vers. 2.* rescripsit, quòd militares expensæ & hostium incurSIONES multâ egeant diligentiam, nec possint citra pecunias hæc agi. Et quamvis Machiavellus *lib. 2. disc. c. 10.* contrarium asserere allaborat, nos tamen inter causam principalem belli, quæ sanè est virtus bellica, & instrumentalem, quæ præcipuè est pecunia, distinguimus.

XI.

2. Commeatus, ne penuria potius quàm pugna consumat exercitum; Et cum impossibile penè sit simul cum natura & hoste pugnare, igitur magnam meritò dux & belli princeps commeatus habeat curam, ut is & iusta quantitate & iusto tempore accipiatur, ne ab hostibus intercipiatur. Quandoquidem in bello & homines & jumenta seu equi inveniuntur; igitur quoque duplex erit præparandus commeatus; alter spectans ad homines alendos; alter ad jumenta, & dicitur pabulum. Keckerman. *d. lib. 1. cap. 30. pag. 475.* Schönb. *d. lib. 6. Pol. cap. 7.* Lips. *s. pol. cap. 6.*

XII.

3. Instrumenta bellica, quæ sunt arma generaliter dicta, id est, omnia illa, quibus noceri potest per *l. 3. §. Armis. D. de vi & vi armata.* Gædd. *ad L. 41. D. de V. S.* Et hinc non inconvenienter quæritur, *An in bello stratagematibus uti liceat?* Affirm. quia ratione ac mente vincere plus est quàm corporis robore; quod illud magis sit hominum, hoc belluarum, Xenophon.

phon. de Spartan. Repub. Id quod etiam probatur ex Sacra Scri-
 ptura : Deus enim ipse demandavit Josuæ, ut Civibus Hai-
 miticis strueret insidias. *Ios. 8 vers. 2.* Davidi quoque, ut è ter-
 go Philistæos adoriretur. *2. Sam. 5. vers. 13.* nam nihil refert,
 quacunq; ratione hostilibus conatibus obviamus, cum idem
 nobis intendat hostis. Hinc August. *lib. 6. pag. 10. supra Ios.*
 Justum bellum suscipitur, utrum aperte pugnat aut ex insidiis
 nihil ad justitiam interest. Et nihil præstantius videtur &
 magis convenire viris, quia ratione mentis potius, quam vi &
 robore corporis perficitur, *Xenophon de Spart. Repub. lib. 3.*
 Quare etiam boni duces non aperto Marte prælium, in quo
 est commune periculum, sed ex occulto semper attendant, ut
 integris suis, quantum possint, hostes interimant, vel certè
 terreant. *Veget. lib. 3. cap. 9.* Interim verò fraudes & insi-
 dia ejusmodi, per quas vel fides hosti semel data violatur vel
 dedecus famæ & existimationi accersitur, penitus fugiendæ
 sunt. Distinguenda etiam sunt stratagemata: quædam enim
 honesta sunt & licita; quædam verò inhonesta & prohibita,
 quale est venenum, quo hostes è medio tolluntur, clandesti-
 na occisio &c. Ultimò quoque observandum, non semper
 iisdem utendum molitionibus, sed illas crebrò esse mutan-
 das, ut hostis difficilius sentiat, facilius verò decipiatur. *Lips.
 lib. 5. Pol. cap. 17. Jun. part. 2. qq. Pol. qu. 75. Jacob. Mart. Cent.
 6. qq. illust. Disp. 3. qu. 11. Keckerm. lib. 1. Syst. Pol. cap. 30. Disp. 35.
 Discurs. Phil. Probl. 12.*

XIII.

Jam transitum faciamus ad ipsos viris, per quos in-
 telligimus milites ita generaliter dictos, seu ipsam arma-
 tam multitudinem, quæ dispescitur in caput, quod imperat, &
 membra quæ capiti illi obsequium præstant.

XIV.

Caput est vel summum seu principale vel minus principa-
 le; illud est ipse princeps belli, qui absolutam habet potesta-
 tem.

tem belli, De quo, an ipsum bello interesse oporteat, controversatur. Nos distinguimus, si status regni aut salus provinciarum in discrimine vertatur tum principem in acie stare decebit. Juxta Plauti in Amphitr.

Vbi sumus Imperator non adest ad exercitum citius quod non factus, fit, quam quod factus est opus.

Alias verò Princeps & semper & levibus de causis ubi praesertim subest majus incommodi periculum quam spes commodi sese periculo & temeritati fortunæ haud committat. Nam in Milite unius fors est in Imperatore universorum pericula. Egesip. s. c. 30. Lip. 5. Pol. c. 14. Althus. cap. 36. Pol. n. 38.

XV.

Minus principale caput sunt reliqui duces & officarii quorum opetotus regitur & gubernatur exercitus hinc animam exercitus; ducem vocat. Lipsius d. lib. 5. c. 14.

XVI.

Membra militaris multitudinis dicimus esse milites ipsos de quorum spoliis insignis est quaestio, an id quod milites capiunt ab hostibus in pugna ardore efficiatur singulorum? Affirmativa sententia nititur hac ratione, quod hoc modo homines scelerati coerceantur, & milites spe prædæ alacriores reddantur. Xenophon. lib. 3. Halicarn lib. 1. antiqu. Rom. Nos per distinctionem asserimus, quod id tantum, quod milites ex hostibus capiunt, fiat singulorum occupantium. l. Naturalem 5. in fin. D. adquirent. rer. domin. & s. item ea 17 Inst. de rerum divisi. Quod autem capitur hostibus devictis & pulsis id omne sive mobile sive immobile fuerit in jus & potestatem ducis exercitus veniat, quia id non amplius milites ex hostibus capiunt, ut quod jam desit esse hostium, sed potius id dicuntur capere ex Repub. cujus po-

B

testati

testati & imperio id totum devictis hostibus subiectum est, Hugo Donell. *lib. 4. Comment. de jur. civ. cap. 21. Boc. lib. 1. de bell. cap. 17. n. 6.* Besold. *lib. 2. Pol. c. 7. p. 782.* Keckerm. *Syst. Polit. lib. 1. c. 31.*

XVII.

Nunc pergimus ad consilia bellica, quæ vel sunt directa vel indirecta. Directum consilium est, quod directè & apertè sine dolo suscipitur: Indirectum, quod via indirecta & dolo sed licito & bono suscipitur, Vid. Lips. *5. Pol. c. 17.* Ranz. *lib. 2. Comm. bell. c. 3. & 4.* Keckerm. *d. lar. p. 478.* Schonb. *lib. 6. Pol. c. 26.* Et hoc est vel magis acutum, ut stratagemata, vel minus ut 1. exploratio vel per proprios homines vel per captivos, vel per occultas epistolas, 2. corruptio hostis & procuratio proditionis 3. disfidiorum & seditionum in exercitu hostili, 4. Infidia 5. interceptio militum & com meatuum, 6. mora & cunctatio vel ad hostem eludendum & hosti occasionem rei benè gerendæ præcidendam, vel ad premendum fame Ranzov. *lib. 2. Comm. bell.* Keckerm. *d. lib. 1. Syst. Polit. cap. 30.* Schonborn. *d. lib. 6. Pol. c. 28.*

XVIII.

Hic querere lubet, cum bellum gerendum est, utrùm præstet, hostem domi expectare, an verò expediat magis extra fines imperii gerere bellum? Posterius affirmatur hac ratione, quod si in finibus nostris bellum gerimus, metuendum sit, ne fugati totâ ditione exsuamur; adhuc clades in alieno facilius sarciri quàm in nostro solo potest: 2. Cum domi armis contendimus, agri devastantur, subditorum facultates diripiuntur, quorum tunc operâ tutò nec uti, nec tributum exigere possumus; & sic belli gerendi præsidii destituimur. Lamb Danaë *Aph. pol. pag. 105. n. 13.* Nicol. *Bellus lib. 4. diff. pol. 2.* Nec desunt rationes pro negativa; quas vid. apud Melch. Jun. *quest. pol. 23.* Verum nos brevitatis gratia cum ipso & aliis distinguimus inter loca regionis; quædam enim sunt satis firma, tuta & arte & natu-

tura munita, civibus item rei militaris peritis & fortibus instru-
cta, tunc hostem domi expectare præstat: contra verò, si res sese
habeat consultius esse videtur hosti obviam prodire & extra fi-
nes regni bellū gerere Althus. c. 35. pol. n. 16. Kirchner. disp. de Rep. ult.
th. 4. lit B. Hœn. Disp. 7. th. 1. Keckerm. in Curs. Phil. disp. 35. Probl. 13.
Behold. lib. 2. Pol. cap. 13. § 4.

XIX.

Restant Effecta belli, quæ vel sunt tristia vel læta. Tristia
sunt clades & subactio sive subjugatio & plenaria denique ex-
stirpio. Læta sunt propulsatio hostis, cui præcidendæ sunt
vires ne amplius bellum movere possit; Et victoria quæ soli
Deo ascribenda, & gratiæ ferendæ pro parto illo dono. At-
que ita moderadè hac quoque victor utatur, ut non modò
vincere, sed & victoriã recte uti noverit Lips lib. 5. cap. 18. Keck.
lib. 1. Syst. Pol. c. 3. Schonborn. lib. 6. cap. 35. & seq.

XX.

Ulimò sequitur Finis belli videlicet Pax, Tranquillitas
& Salus publica, cujus solius gratiã omne bellum legitimum
instaurari debet. Plat. lib. 1. de legib. Cicer.
lib. 3. off. c. Noli. 23. qu. 1.

Soli Deo Gloria.





Ad ornatissimum & Hu-
manissimum Dn. RESPOND.
amicum suavissimum,


MArtius ut miles sequitur minitanti pila,
Intrepidusq; hostes territat usq; suos;
Sic quoq; Gerlachii, Musarum dulcis alumne,
Augustas recolis corde favente Deas!
Maeste novo hoc ausu! pergas, ut adorea laudis
Elatum digno cingat honore caput!
Quod voveo! Quid enim Pylades optaret Orestis
Majus, ubi surgit post fera busta decus?


Honoris & amoris gratiã
adjecit


Adamus Ceupoldt/Sprembergã-
Lusatius L.L. st.




























Ka 3897a

(x 261 7073)

7073







DISPUTATIO POLITICA
De

BELLO,

Quam

Divino annuente auspicio,

An almâ Academiâ VVitebergensē

SUB PRAESIDIO

Viri Clarissimi & Consultissimi,

Dn. IOHANNIS AVENARII,

J. U. L. & Eloquentiæ Pro-
fess. Publ.

defendendam suscipiet

ANDREAS GERLACHIUS GEREN-
rodenſis Anhaltinus.

Ad diem XXX. Maji,

WITTEBERGÆ,

Typis IOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. DC. XXVII.